DE

HJDROMETRA

SIVE

HYDROPE UTERI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

INCLYTÆ SECTIONIS MEDICÆ

IN

[A]CADEMIA JULIO — MAXIMILIANEA WIRCEBURGENSI ORDINE

PRO

SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS CONSEQUENDIS

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

AUCTOR

ANDREAS PRIMUS

BABENHUSANUS BAVARUS.

MDCCCXIX.

Praemonenda.

Legibus Uuiverſitatis regiæ noſtræ, quibus medici Doctoratus Candidatus thema quoddam elaborare tenetur, nt satisfaciam, Hydrometram ſive Hydropem Uteri, selegi, cogitans, me memorabilem hujus morbi casum, duce perilluſtri ac celeberrimo Doctore J. Bapt. Rainer, Phyſico medico (Suevo — monachii), amico meo intimo, observaſſe.

Novi quidquam attuliſſe neutiquam credo; imo vero me sœpiſſime lapsum eſſe & opusculo multa manca & incorrecta ineſſe persnasus sum. Viros igitur doctos, quibus hæ ſtudiorum præmitiæ obveniunt, omni, qua par sum, modeſtia rogo, ne nimis severe de his judicare velint.

Jn elaborando enim hoc themate nec ampla, neque satis conspicua bibliotheca medica, quam in usum trahere potuiſſem, me adjuvit. Auctores, a me præsertim consulti, sequentes fuerunt:

Vesalius, de human. corpor. Fabric. Lib. V. Cap. IX. T. I.

Hippocrates, de mulierum morbis. Lib. I. Cap. VI.

Ruysch, observat. anatom. chirurg.

Wrisberg, commentat. soc. reg. scient. Gœtting. 1787 — 88. Vol. IX.

Jœrg, Handb. der Krankh. der Weiber.

J. G. Knebel, Grundris zu einer Zeichenleh. Der gesammt. Entbindungswiſſenschaft. Breſslau 1798.

Eilfinger, diſſertat. de hydrope uteri gravid. Tübing. 1761.

P. Frank, de curandis homin. morbis Epitome. Lib. VII.

Stark J. chr. Handb. zur Kenntniſs und Heilung innerer Krankheiten &c. Jena 1800. II. Th.

Loder, journal für chirurg. Geburtshilfe &c. Bd. IV. St. 2.

Richter, auserl. Biblioth. 9oter Th. spec. Therap. III. Bd.

J. A. Schmidtmüller, Handb. der medic. Geburtshilfe. I. Th. Frkf. a. m. 1809.

Mende. Krankh. der Weiber. T. II.

Medizinisch- chirurg. Zeitung von Dr. J. N. Ehrhart.

DEFINITIO.

Morbus, a colluvie humorum Serosorum ſive limphaticorum naturæ adverſa, atque cavitatem uteri, aut parenchyma iſtius tenente, exortus, Hydrometra S. Hydrops uteri (Gebærmutterwaſſersucht) vocatur.

DIVISIO MORBI.

Hydrometra varia sortitur nomina:

a) H. ascitica, ceu independens vocatur, ſi uteri cavum dictam habet colluviem. Hoc in casu humores in iſto liberi sunt contenti.

b:) cellulosam vero, ſive œdema uteri dicunt, quando parenchyma hujus visceris cellulosum hacce colluvie humoris præternaturali fuerit adfectum.

c.) H. hydaticam, cysticam, vesicularem, saccatam nominamus, ubi humores aquosi uteri cavum quidem occupant, sed tamen, vel in vesiculis propriis, vel (tempore graviditatis) inter placentæ velamenta quasi in Sacculis, sunt inclusi.

Præter has divisiones distinctio hydrometræ in primariam & secundariam; in simplicem & compositam, in acutam & in chronicam, & denique in hydrometram gravidarum, majoris habetur momenti.

AETHIOLOGIA.

Causa hujus morbi proxima, ut mihi quidem videtur, ex perturbata uteri reproductione derivanda est. Si enim reproductio, qua uterus sese reficit semper, & restaurat, potentiis nocivis impeditur, facile hinc patet, omnem illius ordinem in variis functionibus turbari, atque hoc modo æquilibrium inter secretionem & resorptionem humoris per vasa exhalantia secreti prorsus tolli, indeque vel in cavitate uteri, vel in parenchymate illius celluloso copiam humorum quamdam naturæ adversam accumulari. Hæcce

humoris serosi ceu limphatici præter naturam in uteri cavum accersita quantitas, ni rursus per vasa resorbentia resorbeatur, ut plurimum in eodem augeatur, necessario consequitur.

Aucta vero, vel per vasa secernentia, vel per rupta eorumdem receptacula huc serosi humoris copia in utero (in quem ad morbosam profluviem, adeoque Hydrometram producendam confluunt) necesse est, ut vasa resorbentia tantæ humorum copiæ resorbendæ imparia sint. Exemplum notabile huc pertinens narratur a celeberr. Stark in seinem Handb. zur Erkenntnis ꝛc. innerer Krankh. des menschl. K. II. Theil. Colluvies eadem præternaturalis nascitur, si statu vasorum exhalantium normali, vis vasorum resorbentium debilitata est.

Demum uteri Hydrops orietur, tum secretione vel exhalatione ex una parte acuta, tum vi vasorum resorbentium ex altera parte relative imminuta.

Triplici igitur modo æquilibrium secretionem inter & resorptionem turbari potest:

1mo; secretione præternaturali;

2do; vel resorptionis naturæ contrariá minutione;

3tio. vel auctá contra naturam secretione cum resorptionis imminutione itidem præternaturali conjunctà.

Aucta humoris aquosi secretio, eaque contra normam in uteri cavo existens, ad Hydrometram asciticam S. independentem formandam sola haud sufficit. Aliam quippe conditionem, ut hæc morbi species exoriatur, cum illa convenire necesse est. Conditio autem necessaria hæc erit: conclusio orificii uterini vel ex — vel interni. Nam hac sine conditione adveniente humor præter naturam secretus, non nisi ex utero proflueret, atque id causaretur, ut morbus ille, qui classi profluvierum adnumeratur, gigneretur.

Explicita hydropis uteri origine, interest, momenta prædisponentia & occationalia illustrare, quorum licet concursu morbus hic exoriri, atque efformari solet.

Causæ prædisponentes, quæ ad producendam Hydrometram aliquid conferunt, in totius

corporis debilitate, & in laxa illius conſtitutione, præprimis vero in imbecilli uteri orginis atione vel ex partu jam communicata, vel acquiſita hærent. Virgines, quæ ad tempus concipiendi propius, sed non plena capacitate accedunt; mulieres, quarum decrepida ætas inſtare & progredi solet; ſteriles quoque (quandoque etiam juniores) frequentius huic morbo obnoxias & implicatas experimur.

Causæ occaſionales Hydrometræ origini faventes perquam multæ sunt.

Primo: ad occaſionalia, quibus motus humorum serosorum S. limphaticorum per vasa interturbatur, eorumve ruptio promovetur, sequentia refero:

Graviditatem, vel hoc vel illo modo irregularem; vitia organica in ipso utero vel prope illum ſita, eg. indurationes, scirrhos, polipos, ſteatomata, anevrismata, varices, etc.: Huc etiam adſtringentia fœminarum ſtrophia adnumerari oportet. Spasmi, quibus vasa secernentia & resorbentia (aliquamdiu) comprimuntur, non minus huc referendi sunt.

Hydrometra ex hac causa orta (spastica) in mulieribus gracili corporis constitutione præditis, & in hystericis non raro observatur, & quam plurimum per vehementes animi affectus in iis producitur.

Secundo; causæ occasionales, humoris jam secreti resorptionem debilitantes, præcipue sunt sequentes:

menstrua nimia, abortus, quo plurimum Sanquinis effunditur; fluxus lochialis nimium profusus, & aliæ uteri hæmmorrhagiæ; venæ sectiones frequentius repetitæ, medorrhoea diu persistens ac neglecta, aut perverse tractata; onania; lues venerea; genus vitæ, quæ sedendo maxime peragitur; debilitas in functionibus digestionis, & inde victus crudus ac dispepsus, parum nutriens; abusus remediorum purgantium; refrigeratio præsertim partium genitalium ac pedum; habitatio in aere humido frigidoque etc.:

Tertio; causæ occasionales, quibus secretionis aut exhalationis augmentum cum resorptionis imminutione conjunctum produci

solet, sunt illæ cunctæ, quibus irritabilitas systematis arteriosi, præ primis vero in utero augetur, quo nimirum modo congestioni ansa præbetur. Hoc loco sequentia obveniunt:

suppressio fluxus sanquinis vel naturalis vel præternaturalis subitanea; eg.: menstruationis, lochiarum, hœmmorrhoidum; porro suppressio fluoris albi, urinæ, ulcera vetusta justo prius consolidata aut perverse tractata; suppressa pedum œdemata; nimius usus potuum spirituosorum; transpiratio totius corporis, vel tantumodo pedum suppressa, quo omnino pertinent morbi, queis cutis præprimis afficitur, si supprimuntur, eg.: scabies, herpes etc.: sanatio clorosis neglecta aut perversa.

Haud dubito, quin uteri hydrops & a causis quibusdam clymaticis progenerari, tuncque epidemicus possit existere. Nam anno 1817 & Doctor Rainer, Medicus ac Physicus excellentissimus hic præsens, & ego varias hydropis species frequentius grassari observavimus, similiter & mihi plures oc-

curerunt mulieres gravidæ, quibus brevi ante vel inter parturitionem nimia humoris amnios, aut spurii aut veri copia, vel successive vel uná simul effluxit.

Jam supra dictum est, Hydrometram, præsertim asciticam, in forma sibi propria exoriri non posse, scilicet si orificium non sit clausum. Dantur interea causæ, quibus conditio hæc altera ad hydrometræ istius speciei formationem efficitur.

Ex hisce causis non nullæ sunt, quæ uteri Orificium, vel ex — vel internum, tantumodo per brevius, aliæ vero per longius temporis spatium occludere solent.

Jnterea, impedimentum hoc ab illis positum vi naturæ ipsius resolvi, humores & in utero accumulatos postea effluere, atque hoc modo hydrometram in morbi formam, quam sub nomine profluvierum agnoscimus, transire non raro observatur. Tali modo hydrops uteri cum profluvie præternaturali variare sœpius experierunt Medici.

Ad primum causarum ordinem, quibus nempe orificium uterinum per brevius tem-

poris spatium clausum teneri poteſt, præprimis referam:

Spasmum, quo orificium uteri conſtringitur, & qui frequentius in mulieribus gracili ſenſibilique corporis conſtitutione præditis, refrigeratis eg. partibus genitalibus, atque pedibus, & demum poſt animi pathemata facillime progredi obſervantur.

Ad Secundum earum ordinem, quibus orificium uterinum per longius temporis spatium clauditur, inprimis sequentes adnumerandæ sunt causæ:

Coagulum Sanquineum, vel mucosum, polipus uteri, vel pars placentæ in utero perſiſtens & prope iſtius orificium poſitæ; peſſaria quædam difformia & male adplicata &c.

Notantur denique causæ, quibus permanentius uterus occluditur, idque impedimentum a vi naturæ difficilius vel neutiquam amoveri poteſt. Huc varia vitia organica sunt referenda, præcipue ea, quæ ipsomet in utero, vel prope eum ita sunt poſita, ut

orificium ab iis vel obſtruatur, vel comprimatur, uti

indurationes, ſcirrhi, polipi, excreſcentiæ, ſteatomata &c. His quoque adnumerari oportet: adhæſionem orificii uterini vel membranaceam, vel carnoſam, quæ non raro ſanatis hujus viſceris vulneribus ac ulceribus. ab inflammatione adhæſiva licet anteceſſa, naſci ſolet. Occluſio hæc & membranacea & carnoſa, aut erit poſita interius, verſus internum uteri orificium, aut in medio colli uterini, aut prope orificium uterinum externum, quæ differentiæ ſunt maximi momenti, quum multum faciant ad determinandum, quænam occluſio curari, quæ vero non curari poſſit. — Hymen rariſſime vaginam eo modo concludere obſervatum eſt, ut humoris in utero accumulati effluvium ab eo impediretur.

DIAGNOSIS MORBI.

Perquam difficile, adeoque non nunquam impoſſibile eſt, certam hydrometræ diagnoſin eruere, eamque a morborum formis ſibi

ſimilibus diſcernere, licet cuncta cum interna, tum externa cauſæ momenta cum ſimptomatibus ſollicite conferantur. Jd Hippocrates jamjam, & plures alii vetuſtiores teſtantur.

a.) Diagnoſis Hydrometræ aſciticæ.

Initio morbi ægra in regione pudendorum experitur dolores, quaſi tenſivos & pedum laſſitudinem. Hac in hydropis uteri ſpecie menſtruatio fere ſemper ceſſat, & iſtius locò medorrhœa adparet. Uterus pro quantitate accreſcentis in eo humoris ſenſim tumeſcit, tumorque iſte exacte illius circumferentiam deſignat. Jdem quoque tumor trans regionem hyppogaſtricam ſe conformiter extendit, atque exinde illa fluctuat, & frigida ſentitur. Ægrota ſe incurvans in coſtam humoris in uteri cavo accummulati motum verſus illam cum moleſtia experitur. Creſcente magis uteri intumeſcentia organiſmus univerſalis jam morbo adfici incipit. His cum dictis ſimptomatibus præſentibus nunc plura adhuc alia, ſecundaria, ſe conjungunt; ſcilicet: Senſus dolorum, mox in illa mox in iſta abdominis regione, maxime tenſi-

vorum ac prementium; anxietas palpitatio cordis; refpiratio difficilis atque impedita; pulfus irregulares; inappetentia, difpepfia, naufea ac vomitus; colica, tympanitis, alivi conftipatio; Diffuria, jfchuria, ftranguria, urinæ paucæ, turbidæ ac jumentofæ; macritas extremitatum fuperiorum crefcente œdemate inferiorum; facies hyppocratica; febris hectica. indeque fractis omnino viribus mors ipfa confequitur.

Jnterea fi humor in uteri cavo collectus, caufa quadam favente, (in quantum fieri poterit) evacuatur, ægra, ufque ad colluviem denuo ingreffam, melius fe habet.

Pluria fymptomata, quafi fpaftica, effluvium hoc annuntiare folent; nempe: anxietas aucta, palpitatio cordis; dolores ventris partùs doloribus fimiles &c.

Humor in hoc morbo ex utero profluens, vel ferofæ vel ferofo-limphaticæ, rarius gelatinofæ eft indolis; rariffime vero fanquine aut muco, ant materià purulentà, admixtus, & hinc modo clarus, modo turbulentus adparet. Cujus quidem quantitas omnem fæpe fidem fuperat.

b.) Diagnoſis Hydrometræ hydaticæ S. saccatæ.

Hujus hydrometræ ſpeciei diagnoſis multo difficilior, priore aſcitica, cenſenda. Fere ſolumodo iſta tempore pubertatis expletæ naſcitur. Tumoris uteri fluctuatio hic minus elucefcit, utpote aqua in uteri cavo non tam libere verſante, tumor abdominis ſenſim augetur; menſtruatio rarius ſuppresſa, attamen irregularis; haud frequenter fluxus ſanquinis ex vagina morbum iſtum comitantur, quibus cardialgia, dolores partûs doloribus ſimiles, œdema pedum, ſœpius adjunguntur. Uteri Tumeſcentia jam ſubito & in tantum creſcit, ut duobus menſibus elapſis volumen fere illud attingat, quod nono menſe graviditatis alioquin habere ſolet.

Frequentiſſime a medico, atque ab ægra, ſi agendo corpus movetur, ſacci humore naturæ contrario impleti, ac uteri cavum tenentis, motus ſentitur, nec raro pro motu a fœtu facto, cenſetur.

Aut citius aut ſerius, ſecundo ſcilicet,

vel ſexto, certe vero, uti medicorum obſervationes docent, nono abhinc menſe disrumpitur ſaccus, humorque in eo congeſtus vel cum, vel ſine hydatibus e vagina profluit. Quam evacuationem ſpasmi ventris vehementes præcedere, & quaſi præſagire, nec minus ſubſequi unà cum nimiis metrorhagiis aſſolent. Certe! nunc demum medicus plenè perſpectum habet, ſibi cum graviditate ſpuria agendum eſſe.

c.) Diagnoſis Hydrometræ celluloſæ, ſive œdematis uteri.

Quum hoc in hydrometræ ſpecie humores ſeroſi S. limphatici in parenchymate celluloſo uteri ſint accumulati neceſſario conſequitur, iſtius parietes, niſi abdominis integumenta communia adhuc ſint tenſiva, craſſas ſentiri & tactu impreſſiones digitorum in illas factas, ut eg. in œdemate pedum, animadverti.

Effluvium aquarum, ſi accidit, ſemper guttatim adparere & inde uteri quoque intumeſcentia ſenſim imminui ſolet.

Jam ſupra notatum eſt, hydrometræ diag-

nosin magna difficultate explorare posse. Præprimis vero eam ab ascite abdominali, & a graviditate notis pathognomicis discernere, illiusque cum gravididate complicationem recte & certe agnoscere, hic opus grave esse, complures medicorum celeberrimorum, & veterum & recentiorum, observationes commonstrant

Jnterea suas quoque notas habet, quibus uteri hydrops differt.

Imo ab ascite abdominali (Bauchwassersucht)

a.) Jn Hydrometra ventris tumor originem sumit suum exacte a regione pudendorum; nec serius trans abdomen adeo se extendit; nec tam plane fluctuat, ùt in ascite.

b.) Jnitio morbi, ascitæ abdominalis scilicet, affectio totius organisimi (præsertim sensus debilitatis in fructionibus & irritabilitatis & reproductionis; totius corporis macies; inappetentia; excretio urinæ & cutis transpiratio impedita &c.) statim magis conspicua, quam in hydrometra.

c.) Ad diſcernendam hydrometram ab aſcite abdominali effluvium humoris aquoſi ex vagina progrediens, decreſcente ſimul ventris tumeſcentia, criterium maximi eſt momenti.

e.) Portio vaginalis (cervix uteri & labia orificii externi) in hydrometra perfecte complanata ſœpiſſime obſervatur.

IIdo. a graviditate:

a.) Si conſtat, potentias quasdam nocivas, quibus generatim hydrops poteſt produci, uterum præcipue adfeciſſe, recte hydrometram adeſſe concludimus.

b.) Jnitio hydrometræ ſimptomata morbi, ſic dicta hydropica, haud ſtatim adeſſe; ſed ſerius demum adparere conſpiciuntur. Et vice versa, varias moleſtias a graviditate dependentes eg. anorexia, appetitus ſpurius, nauſea, vomituritio &c. jamjam principio illius ingredi, & in illius progreſſione iterum ceſſare experitur.

c.) Facies ægrotæ, hydrope uteri adfectæ, pallida ac cachectica; urinæ paucæ; ſi-

tis aucta; os ſiccum, pedes œdematici &c.

d.) Mammæ mulierum, hydrometra laborantium, ſunt flaccidæ ac laxæ indolis, quarum laxitas cum tumore ventris magis accreſcit; idquod in gravidis inverſo modo ſe habet.

e.) Abdomen in hydrometra non eodem ordine, ut in graviditate; citius vero in illa, quam in iſta accreſcere experimur.

f.) Jn explorando utero gravido (tempore graviditatis magis jamjam progreſſæ) corpus quoddam durum eg. caput. vel extremitates infantis, apprehenduntur.

g.) Jn hydrometra, præſertim in H. independente S. aſcitica, uteri pondus minus grave ac moleſtum, quam in graviditate, ſentitur, qua de cauſa etiam pedum motus in iſta majore moleſtia, quam in illa peragitur.

h.) Per explorationem & in - & externam segmentum uteri inferius in hydrometra præmaturius, quam in graviditate,

tenſum, arcuatum (convexum) atque fluctuans, manipulatione jam cognita, perſpicue agnoſcitur. Fluctuatio hæc plane æqualis, nec ullo corpore duro eſt interrupta, ſed nec cum motu, a fœtu facto, ùt medio graviditatis veræ tempore, poteſt confundi.

i.) Portio vaginalis uteri hydropici tangendo magis mollem ſe refert, nec non præmaturius complanatam, quam in ſtatu gravido, in ultiori enim ſtatu hasce mutationes cum accretione fœtus progreſſiva & perduratione graviditatis pari paſſu efformari obſervatur. Jn tertio menſe graviditatis portio vaginalis alte ad pelvim majorem aſcendens, non ſic in hydrometra, experitur.

k.) Tumentia uteri, ſi in virginibus adhuc immaturis, ac in mulieribus per totam vitam ſterilibus, vel in illis jamjam tempus decrepiditatis contingentibus percipitur, hydrometram exiſtere rectius concludere licet; & ita etiam, ſi, tempore graviditatis jam elapſo, tumor ille adhuc perſiſtit.

l.) Effluvium ex vagina aquoſum ſœpius progrediens, cum ſimultaneo abdominis tumeſcentiæ decremento, hydropis uteri magis, quam graviditatis exiſtentis, indicium haud dubium erit.

m.) Menſtruatio in hydropicis, ut ſupra notatum, per brevius vel longius temporis ſpatium, aut eſt ſuppreſſa aut irregularis, atque iſtius locò medorrhœa adeſt.

Jlluſtratis, prout videtur, criteriis, quibus hydrometra ab aſcite abdominali. morbo ilii maxime ſimili, atque a graviditate diſtinqui poteſt, illius quoque conjunctionem cum iſta cœxiſtentem, uno verbo, hydrometram gravidarum ſeu hydropem uteri gravidi exponere oportet.

Hac in hydrometræ ſpecie humor præter naturæ normam in utero accummulatus velamenta placentæ inter & ſuperficiem illius internam diffuſus eſt.

Copia quoque liquoris amnios & veri & ſpurii non raro adeo aucta obſervatur, ut hydrometram (quaſi ſpuriam) ſimulet, Quo

in dijudicando cautum opertet eſſe medicum, ne unico, ſed pluribus ſimptomatibus collectim ſumtis nitatur, ex quorum harmonia certa hujus morbi complicati diagnoſis unice deſumitur. Notis non niſi ſequentibus agnoſci poterit

Hydrometra gravidarum
ſive
Hydrops uteri gravidi.

Uteri tumeſcentia hic ſubito creſcit, ita quidem, ut volumen enorme brevi attingat. Præter plura ſimptomata præſentia, ſic dicta hydropica, inſtituta exploratione uteri & ex- & interna, motus a fœtu facti, a medico & non nunquam agendo corpore, etiam ab ægra ipsa. apprehenduntur. Per explorationem uteri externe factam idem in latitudinem extenſus, mollis ac fluctuans ſentitur. Orificium uterinum, ſi exploratur, maxime molle, atque ſegmentum uteri inferius verſus vaginam convexum, fluctuans, parteſque fœtus ſeſe moventes in eodem animadvertuntur. Sœpiſſime humor in uteri gravidi cavo, modo jam ſupra dicto, contentus, longiore vel breviore temporis ſpatio ante par-

turitionem, in majore aut in minore quantitate, vel citius vel tardius effluere, atque non nunquam denuo eam implere ſolet. Phænomenon iſtud eſt maximi momenti. Facto hoc enim effiuvio partes fœtus in utero per explorationem magis proſpicue percipiendi locus præbetur.

Sectionibus cadaverum, hydrometrà defunctarum, inſtitutis quam plurimum varia vitia organica, jam ſupra notata, vel in utero ipſo, vel in ejus vicinia, præter aquæ, mox turbidæ, mox claræ copiam nimiam, ac ſcæpe vix credibilem, vel hydatidum quoque quantitatem innumerabilem, reperiuntur.

Vitia illa organica non nunquam hydropis uteri cauſæ ſunt producentes; — interea autem ſcæpius illa ex iſta oriri, vel ſimul cum hydrometra, effectum unius ejusdemque morbi antecedentis, (complurimum vero inflammationis,) ſimulare nemo dubitabit.

PROGNOSIS.

Prognoſis in hydrometra ex unanimi medicorum principium judicio generatim tam infauſta non eſt.

Jntereſt vero, ad eam rite eruendam, ut præprimis ſequentia perſcrutentur:

a.) Cauſa & illa, qua maxime favetur aquoſæ colluviei præter naturam in utero exiſtentis origo: & iſta etiam, qua uteri orificium clauſum tenetur, removeri posſunt, aut non. Primo in caſu felix ſperandus eſt morbi exitus; in altero autem caſu ejusdem ſanationem nulla artis intentione effici poſſe, nemo inficias ibit.

b.) Jmpedimentum, quod apertioni orificii uterini obſtat, vel vi naturæ ipſius, vel accedente ſanandi methodo recta, reſolvitur; cauſa vero proluviem præternaturalem producens removeri nequit. Hinc evenit, ut hydrops uteri in aliud morbi, profluvierum ſcilicet, genus tranſeat.

Ex his prædictis per ſe latet: hydrometram exortam ex vitiis organicis, quæ removere penes medicum quam plurimum non eſt, fere ſemper eſſe inſanabilem. Verum etiam omnium cautæ momentorum obſervationem maximi æſtimandam eſſe, atque ex

ea ad hujus morbi exitum prognoſcendum tutiſſima indicia colligi illico conſequitur.

Hydatides in uteri cavitate exiſtentes fœcunditatem mulieris haud ſemper tollere; complurimum vero fœtum in formatione ac efformatione ſua impedire, atque ita abortum, vel partum im- vel præmaturam, hœmmorhagiasque uteri producere, viris in arte medica ſumme expertis prorſus perſuaſum eſt.

Hydrometra gravidarum partu, vel præmaturo vel normali tempore, ſecuto, mox removetur. Sed effluvio ſic ſubito facto, præſertim ſi uterus nimia humoris aquoſi copia maxime fuit extenſus, ob illius contractilitatem debilitatam profuſæ ac periculoſæ metrorhagiæ, dolores que poſt partum vehementes, ſerius quoque medorrhœa pertinaciſſima, atque alii morbi chronici ſuccedere ſolent.

Complures etiam medicorum obſervationes ſunt, quæ docent: hydrometram ſœpius menſtruationem irregularem aut comitari, aut ex iſta originem habere ſuam.

Mulieres prius ſteriles, hydrope uteri ingreſſo, & nondum ad gradum majorem evecto, graveſcere, & poſt parturitionem valitudinem perfectam recipere, ab Hippocrate jam, & brevi a me obſervatum eſt.

Hydrops uteri demum, teſte medicorum clariſſimorum experientia, non nunquam in anaſarcam tranſire, quin & recidivus facillime reddi ſolet.

Hydrometra gravidarum a me ſic dicta ſpuria, licet ex liquoris amnios veri aut ſpurii nimia quantitate exorta, ineunte partu tollitur, cum humor iſte, diſruptis placentæ velamentis, effunditur. Liquoris iſtius copia, ſi jam initio graviditatis maxime eſt perſpicua, non raro abortu, ut in hydrometra vera, poſt partum vero metrorhagia, ob ſubito ingreſſam uteri evacuationem, periculum inducit.

Dr. M. Willich (in ſeinen Bemerkungen über die Waſſerſucht) exemplum notat, fœmina cujusdam hydropicæ graveſcentis, quæ ſtatim poſt parturitionem obiit, cum brevi ante nimis magnam aquarum copiam ex diſrupto uno pudendorum labio effluxiſſet.

Quam ruptionem, in mulieribus hydropicis ſubito factam, præfatus medicus generatim in quocunque hydropis genere ſignum, mortem proximam præſagiens eſſe, exiſtimat.

Notandum quoque venit, uteri hydropem, in rariſſimis licet caſibus, ingreſſa ſalivatione ſanatum fuiſſe. Jnfelix morbi exitus nobis ſperandus eſt, ubi nullæ aquæ in utero accumulatæ effluunt; ubi uterus ſummo abhinc extenſus maxime dolet; ubi virium proſtratio ac totius corporis macies magis magisque augentur; ubi urinæ paucæ vel nullæ prorumpunt; ubi ſigna aliarum hydropis ſpecierum eg. hydrothoracis & cœt. præſenti ſe aſſociant, & ubi denique febris hectica adparere cœpit.

THERAPIA.

Reſtat demum, ut de Hydrometræ ſanatione agam, quam non raro a vi naturæ ſolius perfectam, ſæpe vero etiam, ſi æſtimaveris rite potentias nocentes, atque reſpexeris prognoſin, & ab illa, & ab accedente ſanandi methodo, funeſtam ſperare poteris.

Præmiſſis præmittendis, quæ cum de natura hydropis uteri, tum illius decurſu ac

complicatione, atque demum prognosi succincte dicenda mihi fuerunt, facile patet, primam & omnem medici intentionem eo advertendam esse, ut nempe morbus ultro progrediens cohibeatur, organismus depravatus reducatur in statum normalem, atque illius per hunc morbum jam decrescentem novæ depravationi caveatur.

Præ primis ergo disquirendum venit: quænam subsint causarum morbi momenta prædisponentia; quænam occasionalia, ut ægrotæ desiderio satisfiat, & consilio nostro respondeat effectus.

Cum igitur iste morbus omnis sistat in perturbata præsertim uteri reproductione, omnem, ut fieri poterit, ad hanc restituendam laborem adhiberi necesse est. Ad hunc finem duplex medendi ratio serviet, præscribendo scilicet meliorem diætam, ac regimen sanationi accomodatius, & præcipiendo, ut clymate & aere salubriore utatur ægra; interdicendo etiam spirituosorum abusum & strophiorum comprimentium gestum, substituendo his minus comprimentem vestitum; coercendo profluvia nimia, aut suppressa restituendo, ac demum alimenta bene nutrientia, ac facile digerenda porrigendo,

Si vero morbus ulterius fuerit progreſſus, & fluxus vel ſanquinis, vel humoris alius indolis, ægrotæ vires admodum debilitaverint; — ſi hydrometra ex diæta perverſa, a vita ſedentaria; ex habitatione in aere humido ac frigido; ex animi affectibus deprimentibus & cœt. nata eſſet. medicamenta ſic dicta roborantia, viribus digeſtionis bene congruentia & ſœpius ex claſſi volatilium, ob permagnam totius organismi debilitatem, præſertim vero ſyſtematis chylopœtici, adhibeantur.

Hisce medicaminibus roborantibus hinc inde diuretica, irritabilitem ſyſtematis reſorbentis præcipue petentia, eg. herb. ononid. ſpinoſ. — baccæ juniper. — fol. digital. purp. — rad. poligal. ſeneg. — ſcill. marit. — & cœt. — & præſertim ſi morbus originem ſuam ex refrigeratione totius corporis, vel tantumodo abdominis, aut verendorum, aut pedum habere perſpicitur, diaphoretica eg. ſambuc. — arnica — liquor ammon. acetic. — antimonium — camphora — & coet. & ſi morbus pertinacior fuerit. camphora cum opio, & præſertim mercurialia & antimoni-

alia, tamquam medicamina, quæ efficaciſſime vaſa petunt limphatica, recte ſubjungi oportet.

Præter hæc, medicamina quoque externa, non ſine ſucceſſu adhibentur. Huc imprimis pertinent. unquent. mercurial. ciner. — unq. digital. purp. — liniment. volat. camphorat. — ol. juniper. vel therebinth. — ad abdomen quotidie ſœpius inungenda; — ſpirituoſa in iſtud illinienda; — & denique fotus vel fumigationes ex ſpeciebus aromaticis & cœt. Exanthematibus retrogradis diaphoretica ac antiſpasmodica, & ex- & interne opponuntur eg: frictiones vel fumigationes aromaticæ; balnea tepida; rubefacientia &c. jnterne. diaphoretica jam ſupra notata; ſulphur — ſal. C. C. — & reliqua huc pertinentia.

Si affectio ſyphillitica ſit morbi cauſa, mercurius præprimis adhibeatur.

Hydrometra ex ſuppreſſo fluxu eg. menſium, hœmorrhoidum, lochiorum, fluoris albi, exorta, talia requirit medicamenta, qualia cauſis ſuppreſſionis variis congruunt, & hinc mox ex claſſi reſolventium; mox ex illa antiſpasmodicorum, & coet. deſumta.

Huc adnumeranda ſunt præſertim Balnea tepida, vel univerſalia vel topica; balnea vaporis eg. ex ſpec. emollient. vel aromatic. — parata; aliquamdiu etiam hirudines, aut ſcarificationes, hic locum habent. Hydrometræ ex ſpasmo ortæ antiſpasmodica commode adhibebis, eg. flor. chamomill.— arnicæ — menth. — rad. valerian. as. fœtid. — caſtoreum — Moſchus — opium — Hyoſciamus — ipecacuanh. in refractiſſimis doſibus — liquor. C. C. — ſpirit. ſal. ammon. anis. — & cœt. — externe. Balnea tepida univerſal — vel topica; — fomenta aromatica, ſpirituoſa; — liniment. volat. & cœt. —

Cauſa hac dicta remota antimonium, & iſtius præparata, taxtar. emetic. refract Doſi — præſertim mercurialia & digital. purpur. ſecretionem verſus naturam auctam, adhucdum remanentem, vel multo dimminuent, vel perfecte diſſolvent.

Jn Hydrometra, ex tænia veſiculari, orta, valetudinem uſu ſirupi tabaci cum ſimultanea clyſterum ex fumo iſtius herbæ para-

torum applicatione, porrecto, posteaque decocto cort. chinæ cum æthere sumto, atque diæta bene nutriente, perfecte restitutam fuisse legi.

Orientem ex vitio organico hydropem uteri vix unquam medicina dispellit; quamplurimum enim experimur, cunctis illum remediis utcunque exquisitis inimica quasi vi resistere.

Hoc in casu methodus simptomatica, ad morbi simptomata maxime urgentia removenda, vel imminuenda, unica nobis superesset, nisi alioquin chirurgia auxilium præberet.

Jn casu prædito aliquamdiu antimonialia, mercurialia, conium maculatum; Belladonna, digitalis purpur., non sine auxilio in usum tracta fuerunt.

Demum demonstrandum est, quo modo orificii uterini occlusio, qua humoris aquosi in uteri cavo congesti effluvium impeditur, tollatur, nisi jam vi naturæ ipsius impedimentum istud removeatur. Ubi causa ejusdem manifesta est spasmus, illic methodus,

ut ſupra notatum, antiſpasmodica adhibenda; prætertim vero injectiones antiſpasmodicæ in vaginam ſunt inſtituendæ, licet etiam, obſtructo per coagulum ſanquineum, mucoſum vel limphaticum orificio uteri, balnea vaporis ad genitalia adhibita, injectionesque emollientes per vaginam applicatæ, nec non minus vomitoria ſæpius repetita, auxilium præſtarent.

Orificium uteri modo illo obſtructum, niſi prædictis remediis rite aptatis aperiatur, modo artificiali (ubi ſine periculo fieri poteſt) eg. digitis, cereolis, ſpongia marina tumeſcente, ſpeculo uteri (?), cathetere, tutiſſime autem, ſolumque ſi periculum eſſet in mora, id tentare licet.

Si Orificium uterinum a pſeudomembrana, vel vagina ab hymene clauderetur, & hanc & illud acu triquetra (troicart) perforare, vel inciſorio (biſtourie) lege artis incidere neceſſarium eſſet.

Occluſionem uteri ex vitiis organicis, nullo modo removendis, natam, per paracen-

thesin, aut magis rite per incisionem orificii, vel colli uterini, quandocunque tentare illa licuerit, adperire oportet.

Præcenthesin uteri, quam medicorum plures, nescio qua ratione impulsi, temere commendant, admodum magno subesse periculo vix crediderim, si sectionem cœsaream, operationem scilicet magis spectabilem, & jam sæpe felici successu coronatam, respiciam, observationesque illas memoriæ reducam, quibus satis probatur, paracenthesin uteri gravidi (licet in hydrometra pro ascite abdominali sumta) sæpius sine damno institutam fuisse. Posito igitur, quod cuncta medicamina & in - & externe modo prædicto sine successu adhibita fuerint, ac summum, ex magis magisque accrescente humoris in utero aquosi copia, suffocationis periculum urgeat; quodnam quæso remedium, quamvis anceps ac horridum, prorsus damnandum esse jure dicetur, ex quo aliqua saltem quantumvis minima salutis spes elucet? — nam de vita hominis hic agitur, ad quam prolongandum omnia conari medici est; melius enim est anceps, quam nullum vitæ salvandum remedium.

Operatio hæc (paracenthefis uteri), fi indicata eft, ratione loci triplici modo eft inftituenda:

a.) Jn regione abdominali, & magis commode in linea alba;

b) per vaginam, & demum

c.) per anum, juxta propofitionem medici cujusdam viri celeberrimi.

Per umbilicum etiam paracenthefis (nach Scarpa) uteri gravidi, in cafu nempe, quo hydrometra pro afcite abdominali habetur, inftituta eft; hoc in cafu, acu triquetra ex canella fua reductà, nullæ aquæ, fed iftarum locò fanquis purus mirum in modum profiluit.

Brevi poftea ægra leniore fyncope correpta, mox vero fibi iterum confcia, fubito doloribus in latere & dextro & finiftro abdominis prementibus. atque ad verenda vergentibus, magis magisque cum majori vehementia redeuntibus vexabatur. Jnftituta igitur uteri exploratione interna, orificium illius apertum, atque in eo extremitatum in-

feriorum una ſe prodens animadvertebatur. Dolores ad partum majori identidem intenſitate increverunt, & ſic factum eſt, quod, ruptis placentæ velamentis, nimis magna aquarum copia ex utero profluxiſſet, atque circa horam unam gemelli, & quidem horum primo natus, vivens, ſolaque vi naturæ, in lucem editi fuiſſent. Paulo poſt mola, ſic dicta ſanquinea, permagna, & ſtatim denique placenta enormis cum velamentis ſubſequebantur, quo facto uterus ſese bene contraxerat. Ægra hæc onere ſuo liberata usque ad hodiernum diem optima valetudine gaviſa eſt.

Rectum ex illis tribus locum eligendum in paracentheſi uteri inſtituenda medicum prius cuncta intercedentia momenta dijudicare, atque rite diſcernere neceſſe eſt.

Quum partus, paracentheſi uteri gravidi factà, nunquam non procurari ſoleat, interrogo: utrum hanc operationem, quà gravida a morbo ſuo gravi, morteve liberetur, inſtitui liceat? — an eadem a graviditate contraindicetur? Plures medicorum expertiſſimorum obſervationes demonſtrant, partum præ-

maturum (in quibusdam caſibus) ut plurimum ſucceſſu tam felici procuratum, & inde vitam & matris & infantis conſervatam fuiſſe, atque ſeptimeſtres adeo adoleviſſe & viguiſſe. Si igitur ob nimiam aquarum in uterum gravidum accerſitam copiam ſummum ſuffocationis periculum, ut fieri poteſt, ingreſſum, nullo alio modo removeri poſſet, paracentheſis, ut opinor, vel potius operatio illa, qua partus præmaturus artificiali modo procurari ſolet, ſub indiciis jam ſupra dictis, inſtituenda eſſet.

Modo hoc vel illo facta uteri evacuatione, generalibus artis medicæ principiis, organiſmum totum, præcipueque uterum maxime debilitatum roborare neceſſitas poſcit, ut ne in ipſum morbum, a quo valere cœpit, reincidat. Præ omnibus tamen remedia amara ad curam radicalem ut plurimum conducunt; inde hæc tunc ſunt adhibenda, ſi per excitantia volatilia ſtatus normalis jam in eo adductus fuerit, ut amara a functione digeſtionis ſubigi poſſint; tunc enim amara vim digeſtionis adjuvant, quo efficitur, ut major ciborum appetentia, aſſimilatio chyli boni, ſicque virium reſtauratio ſuccedat.

Caute tamen a lenioribus ad fortiora, & Dosi minori ad majorem gradatim progrediendum est. Huc eg: referri possunt: Elixir. roborans Rob. W. — Elix. visceral. Hoff. — Essent. trifol. fibr. — Quassia — colombo — absinthium — card. Benedict. — Rad. genitan. rubr. — cort. chin. — mars & istius præparata.

Præter horum medicaminum usum internum non sine successu externa quoque adhibenda continuentur eg: balnea aromatica, jnunctiones spirituosæ; jnjectiones in uterum ex decoct. spec. adstringent. chinæ, vin. rubri, aquæ calcis cum tinct. mirrh. & cœt.

Præter remediorum roborantium usum vero, ne ægra in pristinum morbum relabatur, pariter videndum est, quod quidem ciborum, qui & facile digeruntur, & satis nutriunt, delectu, & æqua vini generosi portione obtinetur. Præter hæc etiam animi quies ac recreatio, corporis adæquatum viribus exercitium, & aer campestris ad virium restitutionem potissime conducunt.